

EPIGRAMMA PLATONIS PRO ASTRO ADOLESCENTE, LATINE STELLA, QUEM AMAVIT ;
 QUOD GUARINUS TRADUXIT

- C_1 v.1 Ardetes stellas, lucens mea Stella, tueris :
 2 caelum utinam fierem, te ut multo lumine cernam.
- C_2 v.1 Ausoniae et Graiae lugubria spargite Musae
 2 carmina, Pallas adhuc ! decus en illustre decorque
 3 vester obit. Lingua erudiens Jampetrus utraque
 4 auribus infudit claras nostratibus artes,
 5 vocibus et vita callem monstravit Olympi.
 6 Aequeaeui hunc socium et juvenes luxere parentem.
 7 Orba viri talis fama solabere, Luca.
- C_3 v.1 Barbara quem duro Germania monte creavit,
 2 hunc, Ziliole, tibi dulcis Verona remittit,
 3 qui saevos animos et agrestia corpora solvas.
 4 Nam vita suavique potes gravitate loquendi
 5 saxa animare, feros lenire affatibus ursos.
 6 Prisca parens quondam fuerat de sanguine vestro ;
 7 mutavit faciem taetris Saturnia villis,
 8 tanta fuit laesi stimulans injuria lecti.
 9 Quocirca veterem modo si reparasse figuram
 10 non datur, humanos aut restaurarier artus,
 11 At priscos mores et mentem redde virilem,
 12 ut quantum ira diu valuit Junonis iniquae,
 13 tantum ingens possit virtus tua numinis instar.
 14 Omne ministerium, dictos quoque spondeo gestus,
 15 nutibus ipse jube, me jussa capessere cernes.
- DE UNCIIS
- C_4 v.1 Calcus, si quaeris, duo lentis grana tenebit,
 2 at calci duplices ceratem praebere videntur.
 3 Si ceratem geminas, obolum numerare valebis.
 4 Inde solet scrupulus obolis constare duobus,
 5 ast unus scrupulus siliquarum pondere sex fit.
 6 Drachma tribus scrupulis, octonis uncia drachmis ;
 7 ter scrupulis octo componitur uncia tota ;

8 uncia si fuerit bis sena vocabitur axis ;
 9 unam deme : deunx est ; binas : sit tibi dextans ;
 10 si tres, est dodrans ; bessis si quatuor aufers ;
 11 quinque trahes : septunx ; sex tolles : semis habetur ;
 12 si septem, quinans ; dic quatuor esse trientem ;
 13 tres tibi quadrantem faciunt, bina uncia sextans.

C_5 v.1 Ceu procul a patria totum peragrantibus orbem
 2 Estensis volitans Nicolai gloria quondam,
 3 sic procul a patria sua nunc praecordia saxo
 4 condita in hoc recubant, corpus patria inclita servat.
 5 Ceu patrem hunc patriae dux et maestissima luget
 6 hunc urbs tota, pio quam duxit amore secundam.
 7 Consilium is duris fuit et spes unica rebus.

C_6 v.1 Consilium vestrum, docti, laudatur, ephebi,
 2 otia cum fessis poscitis ingeniis.
 3 Vobis, pro speculo, natura est facta magistra :
 4 lucem operi tribuit ; nox vocat ad requiem.
 5 Ipse labore suas partis sic dividit annus :
 6 post opus et varium cana quiescit hiems.
 7 Optima belligeros finit pax rite tumultus ;
 8 post ventos placidum stare vides pelagus.
 9 Sic, ubi perpetua lassastis Pallade sensus
 10 noxque diesque animos fregerit assiduos,
 11 danda quies vobis, captanda vacatio dum sit :
 12 ludus iners longe, ludus honestus eat ;
 13 sint procul et tali, pulchra et certamina sunt ;
 14 lingua procax fugiat, absit avaritia.
 15 Non ludos festosque dies voco, quis mala mentem
 16 et vita et sordes commaculant hominum.
 17 Nulla sit argenti collusio : carmina, risus
 18 urbanique sales otia vestra regant.
 19 Sic, cum tempus erit, vestram sedabo Minervam,
 20 fortior ut studium mens revocata ferat.
 21 Quare agite, o, cuncti, erectis simul ordine dextris,
 22 dicite "festa dies", dicite "festa dies" !

C_7 v.1 Convenere pares paribus, convenit et aetas
 2 omnis : ero melius cum senibus senior.
 3 Maturos refugit nutus urbana juvenus,
 4 et jocus et ludus cum seniore tepent.
 5 Quare agite, o juvenes, risus et amoena vocate,
 6 ne turbent faciles seria dura jocos.

C_8 v.1 Corpus ut in membra, rursus membra ipsa licebit
 2 dividere in partes, numeri est sic formula triplex :
 3 periodon appellant et kola et kommata Graii,

4 ambitus et membra dicta atque incisa Latinis.
 5 Ambitus est verbis perfecto clausula sensu,
 6 isque duplex : vel enim solo stat clausula membro :
 7 extemplo Aeneae solvuntur frigore membra ;
 8 pluribus aut membris : duo terna haec sive quaterna :
 9 oramus, prohibe infandos a navibus ignes.
 10 Parce pio generi et propius res aspice nostras.
 11 Res perfecta quidem, reliquam tamen ordine spectans,
 12 membrum appellatur ; nondum est sententia plena.
 13 Dic mihi, quam longum poscit constructio membrum ?
 14 Senari versus sit terminus unus abunde,
 15 sive modus quem non defessus spiritus edat.
 16 Incisum membri pars est minor, ipsaque nondum
 17 explevit sensus : O terque quaterque beati.
 18 Dictio connexa est numeris, plerumque soluta est.
 19 Solvitur, ut sermo neglectus, epistula lenis.
 20 Haec tibi connectunt : numerus, junctura vel ordo.
 21 Ordo petit crescant ut dicta : Hic improbus, hic fur,
 22 hic latro, crudelis gladiator, proditor urbis.
 23 Naturae cursum : vita et mors, proelia palmam.
 24 Claudatur verbo sensus, nisi durior exit.
 25 Hinc junctura vetat vocales, consona crebra.
 26 Syllaba quae finit non incohet : arma manebant.
 27 Vox eadem ut rara : cor cordis, cordaque corde.
 28 Durius s junges x, quod probat auris et ora.
 29 Jam saevus Xerxes fertur rex undique victor.
 30 Plura sub hoc genere, docilis quae sentiet auris.
 31 Dic, quibus est numerosa modis oratio nobis ?
 32 Ut res amplifices, ut magnis laudibus ornes,
 33 et si digna magis quam maesta negotia tractas.
 34 Ipsa pedum brevitates numerum facit esse citatum
 35 procerique pedes tardum fluxisse jubebunt.
 36 Quod si contendis, celeri pede currere tenta,
 37 sin res exponis, incessu tardior ito.
 38 Iambus humi serpit, conscendit in ardua paeon,
 39 dactylus utrumque tractat, sociabilis hospes.
 40 Primus principii paeon viget, at jacet imo,
 41 commodus adveniens paeon stat fine secundus.
 42 Creticus extrema atque exordia suscipit apte.
 43 Dactylus extremum chorium praebet et sedet imus.
 44 Aptus ubique sedet dochmius tolerabilis hospes,
 45 si modo rarus adest nec aperto noscitur ore.
 46 Spondeis geminis et clausula dulcior exit.
 47 Duxque trochaeus amat post se ventare molosson.
 48 Audio concinne binos in fine trochaeos.
 49 Iambus spondium subit atque pyrrhichius audax.
 50 Consonus et iambus spondio praebet atque trochaeo.
 51 Nonnulli hexametri fines in fine repellunt,
 52 principium hexametri cum prima exordia poscant.
 53 Prima tenet trimetri finis bene consonus auri.
 54 Amphimacro spondeus amat postremus adesse.
 55 Tuque, anapaeste, soles anapaesti jungere sedem,
 56 spondeumque sequens concinne clauderis imo.
 57 Nec refert plures voces claudantur an una.
 58 Haec quoque scribendo sat commoda fine notabis :
 59 postremum claudens si sit monosyllaba longa,

60 magna vox, dicens, facies anteire trochaem.
 61 Sin brevis extiterit monosyllaba, prae sibi iambus
 62 atque anapaestus erit : dominans lex sive potens sit.
 63 Ante brevem brevis evitat productaque longam ;
 64 ipsa tamen vita vis clara Ligaria dixit.

C_9

v.1 Cui, Francisce, novam potius reserare licebit
 2 laetitiam atque hilari nascentis pectore sensus
 3 quam tibi, qui solide semper mea gaudia gaudes
 4 et cui jam pridem secretas promere curas
 5 sum solitus ? Cum praecipue communis honores
 6 Ferrariae invitent, patriam quam jure secundam,
 7 nutricem vero primam venerorque coloque.
 8 Hanc equidem in caelum tollebam laudibus urbem,
 9 quod... (LACUNE)
 10 et cives clari, populus numerosus, abunde
 11 divitiis longe variis lateque vigeret ;
 12 fertile quod nutrit diversis frugibus arvom,
 13 exornat quod flava Ceres ; quod fortibus undis
 14 tutatur pater Eridanus gladiosque feroces
 15 submovet hostiles, nemo ut populator oberret,
 16 atque idem clipeum praestat fructusque benignos.
 17 Marchio magnanimus, laetae super omnia pacis
 18 insignis studio, cultor quoque Palladis ingens
 19 florentes miti populos dicione reservat
 20 Martis ab incursu ; dum circum perstrepat orbem
 21 armorum fragor et caedes, incendia, luctus,
 22 tibia nos ludique tenent, festa, otia risus.
 23 Grandior huic vitae cumulus felicitis honorque
 24 filius accedit, forma speciosus itemque
 25 religione magis, justus servator et aequus,
 26 dulcior affatu, spes et solacia cunctis ;
 27 cognita finitimis passim praeconia nuper.
 28 Altera sed mulcent nostram nova gaudia mentem,
 29 seu speciosa magis vocitem miracula ; nam res
 30 grandis et insolita, cygno quoque rarior atro,
 31 offertur, primos revocer quasi lactis ad annos.
 32 Ecce Ludovicus, cui sunt cognomina Sardo,
 33 Ferrariam illustrans matrem, nova germina spargit,
 34 quis laudem eximiam nostrae disseminet urbis.
 35 Constabat leges sanctas Romanaque jura
 36 huic infusa viro, quis nosset civibus atras
 37 sopire et lites durosque resolvere nodos,
 38 Ad cujus voces populus concurrere, quisque
 39 ambiguos sensus certatim ponere, dicta
 40 certa referre, velut vatis folia ipsa Sibyllae
 41 mortales petere aut oracula Delia quondam
 42 rebus in incertis cupiens audiverat orbis.
 43 Hanc equidem nobis dimissam caelitus artem
 44 crediderim, qua se quaque oppida quaque penates
 45 et pretii stimulis regerent poenaeque pavore.
 46 Haec stabilit populos, reges certo ordine, gentes,
 47 hanc inter fortes sceptrum tenuisse videmus.
 48 Roma Numam talem celebrat Sparteque Lycurgum,

49 Creta potens Minoa, Solona tulistis Athenae.
 50 His igitur Sardum claris virtutibus olim
 51 instructum noram ; sed eas patefecerat usu.
 52 Nec minus occultas naturae expromere causas
 53 assuerat doctaque palam producere lingua,
 54 tempora si quando tulerant sermoque vocarat.
 55 Insperata meas sed enim perfertur ad aures
 56 fama viri, potius vatis per saecula verendi.
 57 Nam sua doctiloquis educta canoribus umbras
 58 carmina deseruere malasque exosa tenebras
 59 nobile lumen amant volitantque per ora, per aures,
 60 qualia jam priscos legimus cecinisse poetas.
 61 Ardua materiem profert inventio ; divas,
 62 Castaliam totam, totum in praecordia Phoebum
 63 inspirasse putes ; concinnus jungitur ordo ;
 64 haud alios instructa locos juraveris ipse
 65 sortiri potuisse, chori de more venusti.
 66 Cum sale mel nectarque putem inspersione Camenas
 67 versibus, ingenio sic par se vena maritat.
 68 Haec ubinam latuere, quibus velata latebris
 69 se implicuere prius ? Curae, convivium, sermo,
 70 incessus, requies, votum communia nobis,
 71 dum nos Rodigium caeli melioris haberet
 72 et daret hospitium pestis terrore salubre ;
 73 num tantilla quidem perceptae signa poesis
 74 edidit aut Musarum ullum patefecit amorem ?
 75 Unde repente tamen tam tersi pectore cantus
 76 tamque pedes puri, numeri sine corde canori ?
 77 Vis memoris divina animi, puerilibus annis
 78 qui concepta tenet studiisque assumpta tenellis
 79 dedidicit nusquam ; sic quosdam somnia vates
 80 antexpectatum memorat peperisse vetustas,
 81 sic primo lauri gustu eluxisse poetas.
 82 Salve igitur patriae decor ingens, inclite Sarde,
 83 salve o Pieridum decus, hujus gloria saeculi !
 84 Perge modo et quantum leges tua nomina tollunt,
 85 per quas antistes juris vocitaberis usque,
 86 tantum jura simul legesque ornare Camenis
 87 adjunctis studeas. Fuit haec, fuit optima quondam
 88 temperies, artes arcta viguere catena,
 89 altera ab alterius pretio pendebat, amicam
 90 deposcebat opem socioque valebat honore.
 91 Ast ubi desidia fervensque cupido peculi
 92 invasere animos, junctas malesana diremit
 93 luxuries ; una tantum contenta triumphat,
 94 at viles alias tacitasque oblivio fecit.
 95 Sed tu, Sarde, rudes vulgi contemnito morsus
 96 et tua jam reduces firment exempla Camenas,
 97 teque auctore ausint profugas junxisse sorores.
 98 Splendida se quantis doctrinae gratia tollet
 99 laudibus ; hanc omnis cupide sectabitur aetas ;
 100 grata seni, dulcis juveni, solamina maestis
 101 rebus et ornatum celebrem allatura secundis.
 102 Tales Aonia pleni dulcedine vates
 103 flumina, saxa, feras suavi testudine secum
 104 traxere, ursorum rabiem iramque leonum

105 demulsere famem, morsus pressere luporum.

C_10 v.1 Cui mare, cui caelum, cui terra pepercerat olim,
 2 improbitas Zinam suffocat ecce malum.
 3 Borsius Alcides alter sit : omnia monstris
 4 purgat ; ei laudes oppida, rura canunt.

C_11 v.1 Cui mea cui potius metra qualiacumque dicaro
 2 quam tibi, quem virtus, quem stirps, doctrina decorat,
 3 Strozza, decus Mysis, patriae sobolique vetustae ?
 4 Pro pietate soles nostris alludere nugis :
 5 carmen ut aggrediar Galeoti et laudibus instem
 6 auctor es et stimulus. Quocirca ad coepta faveto.
 7 Tempora ad haec vitam juvat extendisse morantem,
 8 quae celebres virtute viros atque artibus edant,
 9 ut merito genitos rear esse prioribus annis,
 10 qui, ceu terra ferax, altis viruere virorum
 11 ingeniis, famae cum spargebantur odores.
 12 Aspice quot legumque et juris Apollines exstant,
 13 in vates primos sua qui certamina ponant.
 14 Quocumque accedas, hominum qui corpora sanent
 15 Aesculapi occurrunt et ferme a morte retractent,
 16 nec minor est animos quae mulceat addita cura
 17 in spes atque metus, acres in corde tyrannos.
 18 Militiaeque duces florent : nimis inclita Pallas
 19 casside terribilis et spreta tristis oliva.
 20 Quam secreta Dei majestatemque repostam
 21 mens rimata hominum sedes penetravit Olympi !
 22 Has Christi pugiles linguae dulcedine pandunt
 23 in populos inopes habitu, sed pectore dites.
 24 Quae cantus ratio, vocis quae mella canorae !
 25 Cedat ut Amphion, stupeat, si viveret, Orpheus !
 26 Praecipue fidibus Ferraria nostra triumphat.
 27 Fama est eloquii dulces emergere fontes,
 28 ut conferre gradum priscis conentur, honores
 29 si modo praestentur pacisque alimenta benignae.
 30 Blandior una micat taciturna vicaria matris
 31 naturae ; solitas format res, mira creatrix,
 32 insolitasque simul : videant hiberna rubentes
 33 ac generare rosas, Cancri fervoribus alti
 34 lilia candere at glaciem camposque nivales
 35 aestibus in mediis ; hominum cum corpore mixtos
 36 continuabit equos, pardum cervice juvenci.
 37 Aedibus eximium praestat templisque decorem,
 38 ornat equos ornatque viros, nemus, aequor agrosque.
 39 Risus ab hac lacrimaeque fluunt, labor inde quiesque,
 40 gaudia, tristitiae, spes et formido notantur.
 41 Ipsa bonis longum spondet mortalibus aevum
 42 historiaeque modo gestorum effingere laudes.
 43 Haec sibi virtutis praeclarae et stirpis honestae

44 deligit artificem Galeotum, elementa profudit
45 huic secreta, modos penitus rationis et artis
46 mentis et intuitum, proprias cum mente figuras.
47 Consiliis agilem tribuit super omnia dextram,
48 ut quod pectus habet, manus et respondeat extra.
49 Si facies igitur viventis imaginat ullas,
50 verior ultra fuat multum dubitaveris, at, si
51 vita hominem functum, superas revocatus ad auras
52 ut sit adhuc credas. Natura relucet in arte.
53 Haec sequitur, dux illa praeit. Vestigia nusquam haec
54 deserit, illa suas vires mirata recenset.
55 Gratia cuique operi est magno commixta decori,
56 quae, mentem alliciens, oculos furetur amantes.
57 Ecce, fides dictis, Nicolai patris imago,
58 lumine quem cassum modo patria luxerat orba,
59 editur artificis digitis : industria qualem,
60 quam veram effigiem monstrat, labra, lumina, frontem
61 atque genas. Quisnam juvenisque senexque vel infans
62 non dominum agnoscat notumque salutet, adoret ?
63 Principe quis viso lacrimis non flevit abortis ?
64 Aspecto gratantur hero quasi luce renato.
65 Impetus est nobis cunctarier : "Optime princeps,
66 care pater patriae, quibus es remoratus in oris ?
67 Cur fugis afflictos ? Quae causa aut casus ademit ? "
68 Hinc Leonellus adest natura insignis et arte,
69 quem spirare putes, tabulae licet aspicias umbras :
70 par genitus patri, notae pietatis alumnus,
71 gloria defuncti, populi solatia maesti.
72 Quantum turba frequens morientis imagine visa
73 indoluit, tantum propius Leonellia cunctos
74 recreat effigies, vivique figura medetur.
75 Quas tibi pro meritis reddet Ferraria grates,
76 mortua cui domini quasi corpora reddis amati,
77 artis et officio vivum producis et auges ?
78 Praemia quae, Galeote, feret, quam tollis in astra
79 nomine grandisono ? Naturae arcana parentis
80 mensuras, moles, simul incrementa modosque,
81 juncturas callens membrorum, longa, propinqua,
82 quorum tanta tibi est donata peritia, tantus
83 ingeniique vigor, divina ut Roscius arte
84 emineas : inter veteres primaria sedes
85 traditur artifices. Comitem dignabitur ordo
86 pictorum illustris, celebrat quos docta vetustas :
87 sanguine Romano Fabius, Cornelius atque
88 Actius et, Graia Creti de gente, Timanthes,
89 Protogenes, Zeuxis, Panaeus frater, Apelles,
90 solus Alexandri meruit qui pingere corpus,
91 Phidia, qui coepit formas pinxisse venustas,
92 mox Pario vultus duxit de marmore vivos.
93 Horum te ingeniis manus ipsa et mentis acumen
94 annumerant, sed pura fides, prudentia amorque
95 carior ut regi fias fecere, bonorum
96 in quo spes omnis : quique artes haurit honestas,
97 nobilibus vigilans studiis, Leonellia spectat
98 sceptras, petens longi sibi praemia certa laboris.
99 Aspice : diversis venientes partibus ulla

100 ornamenta ferunt regi, quibus ora vel aures
 101 oblectent : etenim portum hunc legere quietum,
 102 ad quem vela sui valeant intendere cursus
 103 firmaque jactetur vigilantibus ancora votis.
 104 Hinc honor, hinc laudes, hinc rectis gloria factis.

C_12 v.1 Cujus marmoreo conduntur membra sepulchro,
 2 quod struis, o Nicolae nepos Perusinae tellus,
 3 Bracchius aeternis peragravit laudibus orbem.
 4 Quantus Threicias lustrat Mars efferus oras,
 5 tantus hic Ausonias bello celebravit et armis.
 6 Militiam prisca virtute instruxit et arte ;
 7 dux sapiens, miles fortis victorque benignus,
 8 hosti terribilis, victo, spes, tutor amicis.

GUARINI CARMINA DE MUSIS

C_13 v.1 Esse Jovis natas cecinere poemata Musas,
 2 namque hominum rebus dextras deus obtulit artes.
 3 Instruit historiis mortales vivere Clio.
 4 Tempora plantandi docuit legesque Thalia.
 5 Euterpe monstrat quas fundat tibia voces.
 6 Melpomene exponit varios distinguere cantus.
 7 Terpsichore oblectat dehinc lumina nostra choreis.
 8 Conubiis Erato gratos moderatur amores.
 9 Ostendit sulcos segetesque Polymnia vitae.
 10 Urania (ipsa) polos docet et portenta polorum.
 11 Calliope vates ornat vocesque serenat.

C_14 v.1 Fama per Ausonias volitans celeberrima terras
 2 te, Verona, canit, omni dignissima laude.
 3 Te, montes vallesque, lacus et flumina, fontes
 4 prataque frugifero saturant te Copia cornu
 5 perque Athesis fluvio circum insinuatur amoeno.

GUARINUS IN EPIGRAMMA IO. LAMOLE

C_15 v.1 Flete decus vestrum Lamolamque gemiscite Musae
 2 aut immortalem vestris date cantibus illum.
 3 Vestra per Ausonias revirentia numina terras
 4 fecerat, ingenuas exornans Palladis artes.
 5 Ingenium et virtus patriae donaverat aevum.

C_16 v.1 Flete decus vestrum, Veneta cum plebe senatus.
 2 Sol velut e nostro discedens Barbarus orbe
 3 Franciscus clara privavit saecula luce.
 4 Justitia, integritas, pietas duplexque Minerva
 5 quanta virum ornavit, Verona, Vicentia pandunt

6 Brixia, Tarvisium, justo moderamine rectae.
7 Membra fuisse probant hominem, gesta inclita divum.

C_17 v.1 Flete decus vestrum, volucres, convellite plumas
2 unguibus et rostro propium contundite pectus :
3 Falco diem extremum clausit Leonelli. Illi
4 hinc dolor, ast olim vitae dulcedo serенаe.
5 Jussus abibat enim jussusque redibat, herumque
6 ad voces primas caelo repetebat ab alto.
7 Grus impune volet, secura ciconia plaudat,
8 quas pugil invictus vexavit Marte cruento,
9 non secus ac Teucros saevus incessebat Achilles.
10 Hic jacet et tantas mors abstulit impia vires.
11 Illa tamen dominum placant solacia, quod non
12 otia falconem, non ventrem ademit inertem :
13 fortia magnanimus periit per vulnera miles.

EPIGRAMMA AD VENEREM ATQUE CUPIDINEM

C_18 v.1 Florea, seu Paphii celebras altaria templi,
2 seu Rhodon aut dulces Idaea per antra latebras,
3 huc ades, alma Venus, plenisque Cupido pharetris,
4 Arnus ubi, placido campos et moenia cursu
5 Florentina secans, magnam perlabitur urbem,
6 quam circum amplificis immensa palatia tectis
7 exornant, dudum moderamina justa gubernant,
8 Pallas ubi Junoque suas posuere curules.
9 Hic facie, hic oculis, choreis et carmine nymphae
10 numina vestra vocant. Color iis natat ore decorus ;
11 rica patet flavis per eburnea colla capillis.
12 Quis mundum aut digne pretiosos narret amictus ?
13 Talis erat socias inter Proserpina divas,
14 dum studiosa rosas, violas aut mixta hyacinthis
15 lilia decerpens per roscida rura legebat.
16 Hinc flos Etruriae teneraeque aetatis ephebi
17 cultibus insignes variis specieque venusti
18 supplice sollicitant nunc voto, voce, precatu.
19 Haud unam hic Helenam Paridemque videbitis unum ;
20 mille licet vestros hic connumerare ministros.
21 Cernetis densam longo ordine stare catervam
22 devotam officio nec dulcia jussa morantem.
23 Sponte sua properant. Nullum venientia tela
24 terrent aut magnis diductus viribus arcus.
25 Hic nullae incassum poterunt cecidisse sagittae ;
26 at quaecumque ferum jactabit spicula cornu,
27 corporibus mediis et nudo pectore proni
28 excipient pulchrisque dabunt praecordia plagis,
29 te dominam fassi dominosque Cupidinis ignes.
30 Nunc tuus ille ferox alias Mars dissipet oras,
31 nunc alias sine concutiat terroribus urbes,
32 nunc late vastet populos et caede cruentet.
33 Tu pacem, tu diva jocos, tu carmina, risus

34 tu sequere ; ex aliis veniat tibi laurea pugnīs
 35 atque alios alio de vulnere quaere cruores.
 36 Aspice : parte alia sese Tuscanica pubes
 37 ornatis ostentat equis ; viridantia nectunt
 38serta comas. Talis quondam tuus agmina laeta
 39aequaeuos inter comites agitabat Iulus,
 40antiquam festo celebrans certamine Trojam.
 41Ecce autem egregius Soderino sanguine cretus,
 42lucida quam laeta crispans hastilia fronte.
 43Fortunata tuas quaecumque puella maritas
 44exspectat taedas ; socerum facis ipse beatum.
 45Agnosco hunc nitido venientem corpore, magnus
 46cui favor et caveae consessus plaudit eunti :
 47Stroccia stirps tanto digne laetatur alumno.
 48Tertius ille ingens conquassans robore telum
 49incedit procul hinc, ex ordine natus equestri.
 50Post hunc aeripedem doctis moderatur habenis
 51indole praeclara juvenis ; nunc frena retorquens,
 52nunc pedibus pulsans agiles dat in aera saltus,
 53gloria, deliciae, cura una parentibus ingens :
 54Medica quos ambos illustris origo decorat.
 55Hos inter veteres referens ab origine Bardos
 56dulcis ephebus adest ; celerem calcaribus ardens
 57spumantem citat alipedem. Nec longius alter
 58strenuus assequitur, non vi non indole dispar.
 59Progeniem Ericiam, Adimaros succedere binos
 60cerno, verecundum et te, Ranuccine, sequentem.
 61Omnibus his comitum delectus sorte suorum
 62princeps ductor adest veniens ex prole Sapita.
 63Huc igitur Cytherea gradu celerata secundo
 64mitis ades factosque tibi juveniliter ictus
 65quadrupedumque citos alacri certamine cursus
 66conspice. Iudicium palmae impertire severum,
 67victorem myrto et rosea donato corona.
 68Tu pater aethereas moderans certo ordine sedes
 69errarumque simul pondus pontumque vagantem,
 70da juvenes dios clara probitate micantes
 71nomine longaevo celebrique virescere fama ;
 72et patriam, auspiciis divum feliciter ortam,
 73Etruriae caput invidiae per tempora cuncta
 74victricem, fortuna, auro, virtute potentem,
 75dulcia tranquilla deducere saecula pace.

C_19 v.1 Gratulor, Antoni, viva dignissime lauro,
 2 quod tibi caesariem Phoebea fulgere fronde,
 3 Caesarea reddente manu, canit undique fama.
 4 Plusne sibi Caesar decoris re vindicet ista
 5 an tibi, nunc dubito ; qua quantum longior aevi
 6 Musa Panhormitae vati dabit inclita, tantum
 7 fama in magnanimo diffundet Caesare laudem.
 8 Salve, Musarum vox et decor optime rerum.

C_20 v.1 Gratulor atque omni capio nunc gaudia mente,
 2 quod tibi tam florens hac tempestate novellus
 3 non vultus aut membra refert, sed viva vigentis
 4 ingenii simulacra tui et monumenta tuarum
 5 fit manuum. Primis simulac stetit editus oris,
 6 eloquitur, teneris manat facundia labris
 7 et, mirum dictu, longaevos instruit infans
 8 ac doctos mulcet, clarorum gesta virorum
 9 explicat et mores, naturae arcana latentis,
 10 affigit stimulos animo virtutis acutos,
 11 praecipites frenat mentes, castigat inertes,
 12 nil nisi Musarum docta argumenta profatur.
 13 Illi floret enim generosa Pirundula proles,
 14 Telemachus fortem sicut redolebat Ulixem.
 15 Tanta viget gravitas homini, reverentia tanta,
 16 ut, nisi sit jussus, nullas ex pectore voces
 17 emittat ; jussus, verecunda silentia servat.
 18 O mihi contigerit tales progignere natos
 19 atque meis natis talem perhibere parentem !
 20 Ergo progenitum nonnullis partibus ornem :
 21 quem nostras Italum lingua demittis ad aedes,
 22 accipe et eloquium fundentem ex ore pelasgum.
 23 Vivat et aeternum felix in saecula nostrum
 24 nomen amicitiae memori canat ore futuris,
 25 usque legant ut te vinctum, Nicolae, Guarino.

C_21 v.1 Herculeo rapuit mors invida membra Johanni,
 2 at non aeternum nomen ab ore tulit.
 3 Artibus eximiis vivens durabit in aevum.
 4 Philosophus, medicus, mortua viva dedit.

MOUSAI

CLIO

C_22 v.1 Historiis famamque et facta vetusta reservo.
 THALIA
 2 Plantandi leges per me novere coloni.
 ERATO
 3 Connubia et rectos mortalibus addit amores.
 EUTERPE
 4 Tibia concentus hac praemonstrante figurat.
 MELPOMENE
 5 Haec vivos cantus et dulcia carmina format.
 TERPSICHORE
 6 Ista choris aptat saltus ad sacra deorum.
 POLYMNIA
 7 Haec docuit segetes acuens mortalia corda.
 URANIA
 8 Signa poli, varias naturas monstro viasque.
 CALLIOPE
 9 Materiam vati et vocem concedo sonantem.

- C_23 v.1 Hoc agite, o juvenes, Pius aspicit et stimulat vos ;
 2 solus enim revocat hac tempestate Camenas,
 3 dona probis, doctis meritos largitur honores.
- C_24 v.1 Jamdudum tacitus fuscabat pectora maeror,
 2 ut memini veteres migrasse Helicone sorores,
 3 aut mutas nullo mulcentes aethera cantu ;
 4 versabamque animo, quotiens est gratia regum
 5 Pieriis captata modis, quae gloria lausque
 6 extulerint habitos sancto pro numine vates,
 7 quorum saecula diu, Baratella, obliviam sumunt.
 8 Ast ubi, ceu Phoebi radius, tua carmina nostram
 9 lustravere casam divis comitata Camenis,
 10 ambrosiae sucis et nectare condita mixto,
 11 gaudia maerorem tradunt pectusque serenant.
 12 Spes est Thespiadas priscos invisere colles,
 13 temporaque haec claris revirescere posse poetis.
 14 Tu canis aeterno Polydori carmine mortem,
 15 dignum opus altisoni, sic recte affirmo, Maronis.
 16 Huic igitur nostro te propter gratulor aevo,
 17 et mihi mirifica quem tollis in ardua laude
 18 aequae humili celsum Superiorum in sede locasti.
 19 Sic ubi solem aries transmittit ad aurea tauri,
 20 cornua, de caeno candentia lilia surgunt.
 21 Perge igitur, molire gradum, quo diva vocat te
 22 Calliope, geniusque simul, quo Pallas Apolloque
 23 et priscum Patavi celebra dehinc laudibus urbem,
 24 quam Titus eloquio famae vitaeque perenni
 25 consecrat : urbs geminis floret sic vestra coronis.
- C_25 v.1 Inclita magnanimi proles, Leonelle, parentis,
 2 spes patriae, Estensis decus alti sanguinis ingens,
 3 inter opes tantas inopem sine serpere Paulum
 4 dulcibus eloquiis qui te edat, mulceat et qui
 5 commendet carum tibi tempora quaeque Guarinum.

EPITAPHIUM TOBIAE BURGI PER GUARINUM VERONENSEM

- C_26 v.1 Incllyta quam celebri splendes, Verona, Catullo,
 2 tam tua magnisono dispergitur ore Tobiae
 3 fama recens vatis. Mavortia gesta canebat
 4 magnanimosque duces Lethes revocabat ab unda
 5 virtutemque virum caelesti in sede sacrabat.
 6 Invida Parca vetans stamen praerupit acerbum.
 7 Musa mori prohibens vitam largitur et aevum
 8 quique legenda tulit, legitur convivit amatur.

C_27 v.1 Italiae reges, populi, gens omnis et aetas
 2 extinctum lugete ducem vestrumque nitorem,
 3 quem secum asportat Nicolaus Marchio, sicut
 4 amisso tenebras exspectant sidera sole.
 5 Hunc terris hominem mortalia membra notabant,
 6 testantur sed gesta Deum caelestia ; terras
 7 gloria, corpus humum, superas mens incolit arces.
 8 Hoc exemplar habe populis qui sceptrum gubernas.

C_28 v.1 Ite mei lacera versus nunc, ite, Camena,
 2 clara Veronaei visite tecta soli.
 3 Haec mihi prima parens, hinc ubera lactea suxi,
 4 vagiit hic teneris os puerile sonis.
 5 Urbs ignota licet, dulces mihi rite sodales
 6 cernetis, qui vos, credo, satis decorent.
 7 Proinde citos properate gradus audentius ; unctae
 8 nauta ligat celerans candida vela rati.
 9 Cumque Brenonigenas quam primum intrabitis arces,
 10 ad Marzagaiam sit prius urbis iter ;
 11 et sibi demisso longas offerte salutes
 12 poplite, maturo quam gravitate viro.
 13 Vir celebri probitate micat, vir nominis alti,
 14 reque minor longe lucida fama volat.
 15 Sit licet altivagis splendens virtutibus heros,
 16 suscipiet placida, ne dubitate, manu.
 17 Dotibus illustres magnoque nitore serenos
 18 aequanimi parvos mente videre juvat.
 19 Amphitryoniades bellis victricibus ingens
 20 inclitus Evandri pauperis hospes iit.
 21 Has quoque candenti pennas afferte colore :
 22 ut modicas, capiet corde libens facili.
 23 Plurima non longo spectantur dona paratu,
 24 sed facies minuens munus et amplificans.
 25 Grande feras quamquam pretiosi pondus amomi :
 26 sit frons maesta parum, laus tibi nulla venit.
 27 Maxima non vanae contingunt numina pompae,
 28 supplicis ascendit stridula mica salis.
 29 Unica Latonae laticis quam grata fuisset
 30 gutta, sitis qua tunc triste levaret onus,
 31 si, modo qui raucus per frigida stagna coaxat,
 32 rusticus aprica fronte dedisset opem.
 33 Pars igitur non magna ullum, sed aperta saporat
 34 mens donum, nisi cor pestis avara coquat.
 35 Adde quod hae numeri junguntur foedere terni,
 36 grandia qui certo numina jure juvat.
 37 Saeva Jovis triplici consurgit dextera telo
 38 atque triceps Ditis terret Averna canis.
 39 Proxime sorte polo, Neptune, tricuspide sceptrum
 40 dirigis et rabidum flamen et alta maris.
 41 Ite igitur vos, nostra viro mandata referte ;
 42 pes quamquam impar eat, sena dies dat iter.
 43 Me vocitet gnatum per tempora quaeque Guarinum,
 44 quem voco corde meo natus et ore patrem.

VERSUS GUARRINI PRO SATYRIS JUVENALIS EXPONENDIS

- C_29 v.1 Materiam et causas saturarum hac inspice prima.
 2 Carpitur hac satura probitas simulata secunda.
 3 Odisti quia Roma bonos, pravos colis, hinc te
 4 effugit Umbricius, diversa pericula vitans.
 5 Crispini hic lacerat vitam ventremque Neronis,
 6 ut reges avidos carpat regumque sodales.
 7 Quot mala sustineat parasitica vita notabis.
 8 Haec satura incestas mulieres monstrat, ut omnem
 9 uxorem Ursidius devitet pectore toto.
 10 Mendicant artes, sic Roma coegit avara.
 11 Nobilitas propria est virtus, non acta parentum.
 12 Concubitus diri et sodomitica probra notantur.
 13 Arguit hic hominum curas et inania vota.
 14 Lauta reprenduntur convivium, parca probantur.
 15 Arguit haec avidos nimium, nimiumque rapaces.
 16 Mens cruciat pravos, sapiens fert damna modeste.
 17 Imbuit exemplis natos mala vita parentum.
 18 Immanes ritus Aegyptius incola servat.
 19 Militiae mores et commoda dinumerantur.
- C_30 v.1 Moribus a priscis quantum praesentia distent
 2 tempora testantur vitae monumenta prioris
 3 et nostri nimis effrenata licentia saeculi.
 4 Cetera praetereo, quales Ecclesia, quales
 5 tunc habuit Christi pugiles, quos vita beatos,
 6 doctrina ingentes, lingua efficiebat amandos
 7 et castigati tam sobria norma palati
 8 praebebat speculum ventrique gulaeque domandae.
 9 At reliquos taceo : Romana en Curia monstrum
 10 protulit his annis, qui, bacchanalia vivens,
 11 Musarum cantus tamen amplexatur amoenos ;
 12 is, velut interpret synodi sacrique senatus,
 13 Eugenium in Tuscos ductat patresque verendos,
 14 Ferrariam ingratus lacerat, te laudibus altis
 15 in caelum tollit, Florentia, splendida mater.
 16 Dic tu, cui venter deus est, gula gloria prima :
 17 Ferrariaene fidem atque irreligiosa deorum
 18 templa, piosne parum et neglecta altaria carpis,
 19 nec servata suo jejunia tempore defles ?
 20 Non : pestem, pisces, carnes et ligna, tenebras !
 21 Aptam manus ferulae, plagis aptanda magistri,
 22 non synodo tanta, non coetu digna bonorum,
 23 cui cordi sunt mensa, veru, sartago, patellae.
 24 Hicne viri sermo, quem Christi ecclesia pascit,
 25 cui tellus calcanda fuit caelumque tuendum ?
 26 An pecudis mores, quae rictu et lumine prono
 27 spectat humum, semper potus et pabula cernens ?
 28 Ne maledicta tamen praestent tibi gaudia longum,
 29 singula, si libeat, tacita sic mente retracta.
 30 Ulla in Ferrariam cur pestis crimina dantur ?

31 Deliciosa nimis, nimio quoque perdita luxu
32 curia, vina, cibi nulla sub lege repressi
33 pestiferas secum important quocumque ruinas.
34 Adde ut colluvies tot scorta fluentia toto
35 huc Orbe, et reliquum numero superantia coetum.
36 Roma venit testis, testis Florentia, testis
37 docta Bononia : in has tabem cum cladibus infert
38 curia multimodis ; sexus perit omnis et aetas.
39 Proinde, nisi lucri superasset caeca cupido,
40 Curiam ut anguineos fugitarent undique dentes.
41 Saepius ipse soles mediis clamare plateis,
42 Romanam lacerans manifestis morsibus aulam.
43 Haec maledicta tuo manant ceu virus ab ore :
44 "Non mores sancti, non integra vita, nec ulla
45 religio captat populos : hinc semper emuntur
46 Pontifices ; aurum et spolia una leguntur ab illis.
47 Curia crudelis fugitur : stat Butria clades
48 ante oculos, rabies Aufida et dupla tyrannis
49 Tudertinorum ; labes haec prima ruina :
50 tot caesi proceres, tot avitis sedibus orbi,
51 pro quorum poenis injectus mentibus error
52 nos agit instabiles ; aliena per arva vagamur
53 et mendicamus peregrinas undique sedes."
54 Haec jactare soles : pestem cur ingeris urbi
55 Ferrariae, sycophanta ? Tuis hancingere culpam.
56 Indigenas etiam mendaci gutture pisces
57 insequeris (forsan quos te ignorare coegit
58 pauperies), famulis ut tertia mensa reliquit
59 abjectos, seu pelamydem fractamque lacertam.
60 At laudare solent sturios de flumine nostro
61 eximios, quos hinc vectos Florentia adorat.
62 Quid varios referam diverso gurgite captos,
63 quos nitidi misere lacus fluctusque marinus ?
64 Multiplicem ingentis pretii diffundit acervum.
65 Copia vos querulos facit et fastidia plenos.
66 Ite, simul meritas dabit pro crimine poenas ;
67 namque, ubi vos arens Arnus torrensque videbit,
68 pisciculos cauda cernes exire retorta,
69 quos uti vermiculos semifracta cucurbita portet :
70 concursus fiet, Scythica ceu rhombus ab unda
71 venerit, aut creber Tyrrheno ex aequore delphin.
72 His non invidet fenum paleaeque manipulus
73 lignaque, quae fragili devectet agrestis asello.
74 Usibus haec vestris succurrent : horrida quando
75 saevit hiems nivibus, medio frigebitis igne ;
76 tunc vos Ferrariam maerebitis esse relictam.
77 Cetera, ni veniam flexa cervice reposcas,
78 intermittentur, clipeo repetenda secundo.
79 Unum est quod nequeat tacito contemner ore :
80 namque trahens una Eugenum patresque colendos
81 urbem ad florentem, portam Jovis esse profaris.
82 Ingressus diros atque omnia pessima sumens,
83 Juppiter hic natus, quondam genitore fugato,
84 impius in Latii latebras penetrare coegit ;
85 inde procax nimium coepit lacerare libido
86 omne genus, non ulla aetas immunis, utrumque

87 effrenis violat nullo discrimine sexum.
 88 Impius in patrem, scortator publicus, ipsum
 89 auspiciam tribuet Tuscana petentibus arva.
 90 Pontifici patribusque ducem dabis ordine talem ?
 91 Celsior antistes, Petri successor et heres,
 92 vosque viri proceres, capitis qui a cardine nomen,
 93 hunc, apices vestros qui sordibus inquinat atris,
 94 moribus et studiis Epicuri infamat honorem,
 95 hunc verbis, hunc verberibus vultuque minaci
 96 pellite sintque bonis exempla insignia cunctis,
 97 quales vos homines fugitis qualesque probatis :
 98 vaniloquos, scurras, solo de ventre loquentes,
 99 mortiferum veluti basiliscum, avertitis hostes ;
 100 aut homini querulam solvant jejunia vitam.

Vale et linguam compesce labello.

- C_31 v.1 Musarum decus, Antoni, per saecula salve
 2 Theocritum antiquum Siculae telluris alumnum
 3 effingis, prisca revocans dulcedine vatem.
 4 Sicelides Latio per te dabit Aetna Camenas.
- C_32 v.1 Nix ego de caelo spisso delapsa volatu
 2 advenio, juvenes, vestros amplectier artus
 3 exoptans, laetosque animis infundere lusus.
 4 Vos autem fugitis, thalamis ceu femina clausis.
 5 Ite igitur, celeresque manus innectite ludo ;
 6 vos voco, vos moneo, vos prompti audite vocantem.
 7 Frigore ab hoc calidos capiet vos alta Minerva.
 8 Vos decus Estense ac memorandae gloria gentis
 9 permoveat Leonellus ovans. Hunc ecce per urbem
 10 consequitur legio juvenum, quos undique clare
 11 voce tubae vocitat ; jacitur densissimus imber
 12 et niveis glomerata pilis furit altera grando ;
 13 vixque senex cessat ; teneor quoque virgo pudore.
- C_33 v.1 Nomina septenum sapientum Graecia cantat,
 2 partibus et natos diversis orbis honorat.
 3 Inclita nam genuit celebrem Bianta Prienne ;
 4 inde Solone suo clarae laetantur Athenae ;
 5 Miletus generat perdoctum antiqua Thaletem ;
 6 atque Mitylena praeclarum Pittacum edit.
 7 Se genitum rigida gaudet Lacedaemone Chilon.
 8 Te, Periandre, creat laudata aere Corinthus,
 9 Lindon at in caelum cum laude, Cleobule, tollis.
- C_34 v.1 Non ego lucra bonis censebo inimica nec ipsas
 2 divitias, vitae varius quas postulat usus.

3 Unde fami praebebis opem membrisque pedique,
 4 perfractumque juves, arcam si poscat, amicum ?
 5 Quod si plectra, lyrae et citharae dulcedo canorae
 6 adducet segetes tibi vel cum vitibus uvas,
 7 auritos lepores, vitulos, cum matribus agnos,
 8 aerias silvas montisque cacumina duri,
 9 qualem prisca ferunt volvisse Amphiona cantu,
 10 tunc lucra, divitias, tunc aspernator amatas,
 11 tunc vulgi indoctos, fas est, contemne latratus.
 12 Nonne vides nudas cum risu errare Camenas,
 13 calceus ut fundat digitos, tremat artus ab aura ?
 14 "Smyrnaeum carmen" rident et Apolline cantus ;
 15 si loquitur vates, sibi crebra "ciconia pinsit".
 16 Divitias satur et locuples contemne, poeta.

C_35 v.1 Omnes Herculei fleverunt fata Johannis,
 2 ipsae etiam in silvis congemuere ferae.
 3 Amissamque suam cuncti doluere salutem,
 4 uno quae stabat pectore in Herculeo.
 5 Tantum illi, Aviceneu, tantum, Galiene, dedisti,
 6 ut medicos alios vinceret ingenio.
 7 Quid mundi domina et mundi natura valeret,
 8 quicquid divinus scripsit Aristoteles,
 9 non fuit ignotum illi. Nunc heu pondere corpus
 10 marmoreo premitur, spiritus astra tenet.
 11 Sed pius hoc Daniel statuit cum fratre sepulcrum,
 12 exstent officii quo monumenta sui.

C_36 v.1 Orphea quid mirum volucres et saxa ferasque
 2 humanumque genus cithara traxisse canora,
 3 cum tua mellifluos modulans manus utraque cantus
 4 alliciat surdos defunctaque corpora vita ?
 5 Praeterea casti mores gravitasque senilis
 6 urbanique sales tibi, condimenta severi
 7 pectoris accedunt ; te religiosa decorat
 8 vita sacerdotis ; quo quid praeclarius exstat ?
 9 Gaude igitur Joachine bonis, dulcissime, tantis,
 10 qui Musis lucas, quo Musae auctore relucent,
 11 pro quibus accedunt tibi grandes undique testes.

C_37 v.1 Perlege, nec tituli facies suspecta retardet :
 2 sanctior est sancta rusticitate liber.

C_38 v.1 Phoebus anhelantis et Eoo ab limite fessos
 2 ut pertinxit equos in Ibero gurgite, suetos
 3 frondibus ambrosiae nutriri, labitur imis
 4 interdum terris, pastoria tecta gregesque
 5 invisit ; duris herbis, cum lacte polenta

6 vescitur et, positis fidibus, captatur arundo
7 stridula ; fit pastor qui lucem ferre solebat.
8 Tu quoque, clare Thomas, celsae penetralia linquens
9 Pallados et solitus menti caelestia dudum
10 pabula partiri, gramen rimaris et escas
11 agrestis, humilesque meas dignaris adire
12 aediculas. Sumes quod desuetudine longa
13 sum tibi nunc rauci modulatus gutture carmen,
14 qui jubeas cygno querulam certare cicadam,
15 quod tua magna mihi virtus, sapientia vivax,
16 ingenium placuit, dulces placuere Camenae,
17 nec tenebras sed lumen amo, colo, laudo, fatebor.
18 Non errore vago, caeco nec amore tuarum
19 rerum iudicium, sed recto examine feci
20 nec quia te totis animis complector et arcto
21 pectore, sic statuo, sic stat sententia de te.
22 Ast cum te magnum divinae Palladis artes
23 ornarint, talem cum te monstrarit Apollo,
24 dilexi tacitumque tui reverentia cepit.
25 Haud igitur verax de te censura fefellit
26 doctiloquis quam crebra refert tua gloria dictis.
27 Non ego blanditor, non e Sirenibus ullas
28 ediderim voces. Quid blandimenta profarer ?
29 Jam satis ipse tuo videor donatus amore,
30 sponte tua satis et placui ; virtutibus unus
31 testis ad innumeros et fautor laudibus adsum.
32 Cur fugio quaeris pharetratae spicula mortis
33 cumque stet arcitenes cur dem mea terga minacis.
34 Credo pusillanimum cupis et vocitare paventem.
35 Sic natura jubet, vitae dux certa beatae,
36 sic socia affirmat ratio : exitialia vitem,
37 perniciosa gradu fugitem quamcumque citato.
38 Haec lex prima omnis animantis instruit, ut se,
39 ut corpus tutentur et hinc mala noxia quaeque
40 declinent, ut cuncta petant studiosa salutem.
41 Quid referam dentis, cum duris cornibus ungues,
42 rostraque, perpetuos villosis pellibus armos,
43 antra, salutiferos cuneos, latebrasque repostas,
44 quae natura dedit tela aut tutamina mater ?
45 An nescis fortem dicendum saepe fugacem,
46 nec fortem quicumque audet formidinis expers ?
47 Ille gubernator fortis qui sponte, furentis
48 cum miscet Nereus fluctus saevitque procella,
49 objecit pelago navem, si tuta propinquos
50 praestatura sinus invitet terra vocetque ?
51 Hicne virilis erat ductor qui voce catervas
52 continet atque minis, numero cum maximo et armis
53 incumbens hostis caedes intentet acerbas ?
54 Dic, tibi cur requiem et post corpora fessa soporem
55 suppeditas ? Epulis et amico vescere potu ?
56 Quod si iter ingresso cum grandine densior imber
57 ingruat arboreosque parent curvamina ramos,
58 obtulerint prope sese oculis tecta hospita, cursum
59 intrabis, vel dum tete obruat unda manebis ?
60 Haud me terruerit mors, haud discrimina cuncta
61 ne decor atque decus maneat, servetur honestas,

62 certa fides sacris ; et prisca vera Platonis
63 argumenta reor quibus est mors ipsa beatam
64 vestibulum ad vitam, modo si praecesserit insons
65 vita, gravis meritis, metuens pietate tonantis,
66 justa, nocens nulli. Nihil est quod vita beatum
67 promittat praesens, ubi maeror, vulnera, morbi,
68 luctus et insidiae, exilium, pavor, orba senectus.
69 Haec : etenim fiunt mundanae munera vitae,
70 quae ne vita quidem, si nomina vera loquamur.
71 Hic mortis regnum, corruptio possidet omnia,
72 interitus latam importat cum caede ruinam.
73 Denique nulla potest tam formidabilis esse
74 mors homini, sceleris quam mens sibi conscia diri,
75 atque exspectatis acres cruciatibus ictus,
76 quem vivum obrodit vultur, Phlegethontius ignis
77 excoquit, Eumenides atrum admovere colubrum.
78 Nec mors terrificat, post hanc tormenta minantur.
79 Non haec sacrorum, non haec documenta Platonis,
80 ultro necem ut subeam, vel ut immatura lacessam
81 fata, nec Empedoclis de more ferocior Aetnam
82 insiliam ardentem, durumve imitando Catonem
83 ipse manum gladiis in viscera pronior armem.
84 Nex his haud felix <umquam> (post poena timenda est)
85 qui letum "peperere manu lucemque perosi
86 projecere animas". Pythagorica musa vetat nos
87 ante ducis jussum e vitae statione redire,
88 quam vigili cura servandam tradidit usque.
89 Quod Pater omnipotens pereuntis conditor orbis
90 caelitus ingressus clauso clausoque regressus
91 idem utero nostram captans de corpore carnem
92 Virginis almae, generisque magister et auctor
93 humani, cum jam saevo premeretur ab hoste
94 instaretque illi nex praematura, rigatos
95 se ad Nili campos profugus cum matre recepit.
96 Quid lymphas, frondes, lapides, animalia, truncos,
97 gramina, quid numerem variis monstrata medelis
98 corporis ad curas hominum sanandaque membra ?
99 Aut contra mortes, frustra aut generata fatere.
100 Quid tam longa viro sumenda oratio docto est ?
101 Quod si prognatis vitam produco, quid ? Ipsum
102 argueris ? Non est natorum cura gerenda ?
103 Quorum animo et membris studiis atque arte medendis
104 me rex aetherei dudum praefecit Olympi.
105 Fac me deserto tutorem et patribus orbo
106 a praetore datum. Si rem socordius ipse
107 officiumque bonae fidei securus omittam
108 iudex forte sedens solves in rostra citatum ?
109 Ambiguus pueris est exitus : istius ergo
110 consilium capto, quo mentem in corpore sano
111 incolumem teneam. Quia pravos esse necesse
112 haud videam, scita quam praeditus indole quisque est.
113 Quis ego ne desim munus navare paternum
114 sedulus incumbo. Studium quid possit et usus
115 ignorat nemo : ingenium ad contraria mutat
116 saepius. Arte vides pavidos mansuescere cervos ;
117 trux leo, quem trepidare genus solet omne ferarum,

118 contremitt inspecta minitantis fronte magistri,
 119 terribilis ursos varios vidi edere ludos
 120 imperio domini. Quicquid fortuna datura est
 121 ipse lacertosos morandis ordine natis
 122 agricolas imitabor, agros qui scindere numquam
 123 vomeribus cessant, domitare ligonibus arva,
 124 in segetem fruges deponere ; nubila quamquam
 125 terrificent animos, ventus, vis grandinis, imber ;
 126 interdum gravidos decussit turbo racemos.
 127 Hactenus est lusum. Valeas et si qua petuntur
 128 ulterius, loquere tecum et dehinc tu tibi censor,
 129 tu tibi sis vates. A te responsa dabuntur
 130 docta tibi. Ad nostras ne progrediaris arenas,
 131 mellifluis Heliconis aquis assuetus amoeni,
 132 neu solitas pasci Musarum cantibus aures
 133 turpiter obtundi picarum murmure coge.

- C_39 v.1 Praeco Dei, salve, vitalia pabula nobis
 2 qui seris angustumque doces ad sidera callem ;
 3 reginam dulci quae spargant nectare celsam
 4 advehis ancillas et crinem floribus ornet,
 5 quae virtutis opes, mundi ludibria monstrent.
 6 Timothee ergo, ferens haec dona salubria, salve.
- C_40 v.1 Progenies Maneta triplexque Minerva decorant
 2 Jannotium : monumenta probant conscripta per illum.
 3 Hunc rex Alfonsus, papa hunc Nicolaus amabant
 4 insignem virtute virum. Florentia gaude
 5 inclita pro cive, qui te super aethera tollit !
- C_41 v.1 Quam celsos animos Nicolaus Marchio gestet,
 2 cum vaga fama canat, haec alta Palatia monstrant.
- C_42 v.1 Quam juvenis sapit iste senem probat ecce libellus.
- C_43 v.1 Quam suavis tremulas vincit philomela cicadas,
 2 cygnea quam raucos excellunt guttura corvos,
 3 quamque tubis culices tenui conamine cedunt,
 4 tam magnus reliquos Albertus vicerat omnes
 5 olim praecones, hodie sed vincitur a se.
- C_44 v.1 Quattuor ista solent augere negotia cuncta
 2 utile, jucundum, laudes, jungetur honestas.

C_45 v.1 Qui facis arguta reducem me a morte Camena
 2 posteritate frui, nunc Styga quid timeo ?
 3 Quas tibi tam suavi reddam pro munere grates,
 4 Musarum, Antoni, stirps, decor atque decus ?
 5 Magnus ut Hippolytum validis Epidaurius herbis
 6 ad Superos traxit ex Acherontis aquis,
 7 ac velut Eurydicem Stygiis revocabat ab undis
 8 Orpheus blandiloquae carminibus citharae,
 9 sic mihi post obitum lucem das, Virbius alter
 10 ut sim ; detergis tempus edax modulans.
 11 Quod si lege forent Parcarum stamina fracta,
 12 non sectandus eram fletibus et gemitu.
 13 Mors haec, non vita est, cumulis obsessa malorum ;
 14 ille est omnimodis vita petenda bonis.
 15 Dii, precor, Aonio plenos tibi fonte propinent
 16 haustus et stringat laurea parta comas ;
 17 laudibus aeternis post te sis ipse superstes
 18 atque per ora virum tempus in omne voles.
 19 Tu modo grandisonis, post inclita gesta, Philippum
 20 versibus Anguigerum tolle, decus Ligurum,
 21 cui quantum tribues Musarum munere vitam,
 22 tantam suscipies vivus honore ducis.
 23 Ille in te vivet illoque per omnia vives
 24 saecula, dum Latium carmina docta colet.
 25 Care, vale, Antoni ; jubeo salvere Catonem,
 26 quem virtus, leges, quem benefacta probant.

C_46 v.1 Salve cara parens, omni memorabilis aevo,
 2 cara parens, magni numinis instar habens.
 3 Quas tibi, quas dicam, mater suavissima, grates
 4 quae tibi pro tali munere dona feram ?
 5 Namque per insuetas tua venit epistula valles,
 6 haud nostrum dubitans sponte subire larem,
 7 cum sacros fontis collisque relinquat apricos,
 8 ridentis agros, florida prata, lacus.
 9 Ad natale solum precibus me accersis amicis
 10 et placido revocans me petis alma sinu,
 11 quosque diu reditus avido sub pectore verso
 12 invitas ultro : sic jubet altus amor.
 13 Defuit hoc largis quos tradis honoribus unum,
 14 hic mihi ceu summae laudis acervus adest.
 15 Nil mihi quod civi decorando cedat omittis,
 16 amplificas titulis, sedula, reque juvas.
 17 Quocirca nihil est tam durum immane feroxque
 18 quod pro te atque tuis laudibus effugiam.
 19 Edictum sequor et maternis audio jussis
 20 inque sinus solitos laetior advenio.
 21 Unum oro, spatium et redeundi tempora sume
 22 commoda, sic rebus consule et ipsa meis.
 23 Nonne vides ? Terra et pelagus conjurat in arma,
 24 caeruleos bello Mars ciet ecce deos.
 25 Cessit honos agri, vomer conflatur in ensem

26 squalidaque abductus arva colonus avet.
 27 Pacis amans Musa tranquillās expetit urbes
 28 et quae facta canit bella, futura fugit.
 29 Ut strepuere tubae, juvenes Heliconā recusant,
 30 non locus aut cura est artibus ac studiis.
 31 Dum furit interea terris atque aequore Mavors,
 32 hic velut in portu lentus agam requiem.
 33 Nec tibi me retraho, at meliora in tempora servo
 34 meque tuis trado laudibus et decori.
 35 Ast ubi depositis mater florebis ab armis,
 36 mitis et exuta casside Pallas erit,
 37 ipse tibi tenues mecum revocabo Camenas,
 38 undique si quid erit noster Apollo canet.
 39 Desine jam putridas lymphas ranamque loquacem
 40 obicere aut civis quas emit assis aquas.
 41 Est hic magnanimus princeps, clarissimus heros,
 42 Marchio munificus justitiaeque nitor,
 43 qui me praecipuo amplecti dignatur amore,
 44 et vitae auxilium et commoda multa ferens.
 45 Est patris similis stirps tam dignata parente,
 46 patris ab exemplo me Leonellus amans,
 47 Estensis decus hic gentis cultorque bonorum,
 48 cui Musae dulces atque Minerva favet ;
 49 moribus in quorum placidis vultuque sereno
 50 et liquidi fontes et philomela sedet.
 51 Fertilis hinc gremio decurrit copia pleno.
 52 Cum Junone venit Liber et alma Ceres.
 53 Te tamen, urbs veneranda, bonis praeponere tantis
 54 audeo tu vitae spes requiesque meae.
 55 Hos annos animosque tibi corpusque dicavi
 56 atque Guarinus ero tempus in omne tuus.

C_47 v.1 Salve igitur, nostra princeps aetate Thomasi,
 2 in commune parens. Hostes componis amicos,
 3 allicis externos, gignis sine conjuge natos.

C_48 v.1 Salve, igitur, pater et vates clarissime, Vegi,
 2 quo duce jam reduces veneratur Gallia musas
 3 priscaque Phoebéo revirescit carmine laurus.

C_49 v.1 Salve, terra viris pollens Ferraria, salve,
 2 atque potens opibus, varias celebrata per artes ;
 3 quam pater Eridanus largis amplectitur undis,
 4 fortiter adversum propulset ut eminus hostem ;
 5 teque ferax enutrit ager, te prata coronant ;
 6 te quoque justitia et duris celeberrimus armis
 7 Marchio magnanimus servat Nicolaus et auget.
 8 Tu procul excelsas, tu, formosissima, turres
 9 ornatasque domos aperis, quasi fronte serena
 10 invitans, nostro adventu laeteris amica.

11 Post tempestates peragrataque rura benigne
 12 suscipe nos, placidis retinens complexibus, atque
 13 hospitio dignare tuo. Tibi prisca salutis
 14 tempora jam redeant, reparent nova germina plebem
 15 amissam, foetus duplicet Lucina novos.
 16 Sic Pater omnipotens, sic Virgo puerpera firmet,
 17 ut decus aeternum et felix tibi floreat aevum.

C_50 v.1 Sex, Jugurtha, dies pereuntem carcere Romae
 2 spectarunt ; te dira fames, scelerate, peremit,
 3 ut Plutarchus, ait, veri celeberrimus auctor.

C_51 v.1 Si ditem faciunt animi, nec gaza nec aurum,
 2 regia ne dubites dicere dona tui.

C_52 v.1 Si mihi par voto ingenium fandique facultas
 2 afforet et magnum redolerent pectora Phoebum
 3 labraque proluerent pleno cratere Camenae,
 4 versibus aggrederer dignas extollere laudes
 5 pro meritis, Pisane, tuas, ut vividus omne
 6 exsuperes aevum, sic post tua fata superstes
 7 pubescas servesque novam per saecula juventam,
 8 qualiter accenso post se juvenescere fertur
 9 Assyrium phoenicia rogo et de morte renasci.
 10 Quid faciam ? Licet eximias in carmina vires
 11 mi natura neget, non saltem grata voluntas
 12 defuerit, nostrumque olim testetur amorem,
 13 quos animi veteri jungit concordia nexu.
 14 Quali acumque loquar, sat erit tua nomina servem.
 15 Haud decet ut, celsos ornans heroas honore,
 16 induperatorum faciem sagulumque vel arma
 17 nobilitans, cunctis ut sit clamare necesse
 18 "Sic oculos, sic ille manus, sic ora gerebat",
 19 principibus vitam divina ex arte perennem
 20 magnanimis tribuens, jaceas neglectus ab omni
 21 eloquio exclusus. Sinat hoc impune Minerva ?
 22 Non sinat hoc, natale solum quod laude celebras.
 23 Principio cuncti patria laetamur eadem,
 24 quae nos ambo creat germanaque nomina praestat,
 25 cui decus et famam per longas porrigis oras,
 26 cum te multimodis pangas virtutibus atque
 27 ore virum volites. Prudens, gravis atque modestus,
 28 munificus propriis, alienis fidus amicis,
 29 moribus ornatus pulchroque insignis amictu,
 30 maxima Veronae reddis praeconia nostrae.
 31 Caelitus adde datum tantis cum dotibus ingens
 32 ingenium, artifices digitos doctosque colores,
 33 quis naturae opera, cunctis mirantibus, aequas.
 34 Seu volucres, seu quadrupedes, freta saeva quietaque
 35 aequora describis, spumas albere, sonare

36 litora juremus ; sudorem tergere fronte
37 tempto laboranti ; hinnitus audire videmur
38 bellatoris equi, clangorem horrere tubarum.
39 Noctis opus pingens circum volitare volucres
40 nocturnas facis et nusquam apparere diurnas ;
41 astra, globum lunae cernas, sine sole tenebras.
42 Si gesta hiberno fingis, glacialibus horrent
43 omnia frigoribus, fremdet sine frondibus arbor.
44 Seu factum ponis sub verni temporis horam,
45 arrident varii per prata virentia flores,
46 arboribus lux prisca redit collesque nitescunt,
47 hinc mulcent avium praedulces aethera cantus.
48 Singula quid refero ? Praesens exemplar habetur.
49 Nobile Hieronymi munus quod mittis amandi,
50 mirificum praefert specimen virtutis et artis.
51 Splendida canicies mento, frons ipsa severo
52 sancta supercilio. Quae contemplatio mentem
53 abstrahit in Superos ! Praesens quoque cernitur absens,
54 hic et adest et abest ; corpus spelunca retentat,
55 caelo animus fruitur. Quod cum declaret imago,
56 picta quidem sed signa tamen vivacia monstrans,
57 hiscere vix ausim clausisque susurro labellis,
58 ne contemplantem caelestia regna deumque
59 vox interpellet, vociter quoque rusticus, asper.
60 Quae lucis ratio aut tenebrae ! Distantia qualis !
61 Symmetriae rerum ! Quanta est concordia membris !
62 Quisnam hunc artificem divinae mentis et artis
63 non miratus amet, venerans canat, imus honoret ?
64 Germanam hanc sanctae genuit natura poesi :
65 auribus haec res subicit, illa movebit ocellos,
66 utraque corda juvat aptos formando colores,
67 immortale aevum spondent mortalibus ambae.
68 Hanc magnis cultam ingeniis procerumque ducumque
69 et quorum studium est causas tentare latentes,
70 quis nescit ? Clarum in primis tractasse Platonem
71 Socraticasque manus varias pinxisse figuras ?
72 Pinxerunt Fabius, Lucilius : ambo quirites
73 patricii. Verona parens nostra incllyta quondam
74 Turpilium vidit, cum membra simillima vivis
75 ederet ; hic fuerat tum ex ordine natus equestri.
76 Canacus, Euphranor, Polycletus et acer Apelles,
77 Praxiteles et Myrro Polygnotusque, Timanthes,
78 munificus Zeuxis pleno celebrabilis ore.
79 Hic ubi jam tabulae perfecerat arte magistra,
80 omnibus expletas numeris, donare solebat ;
81 quis divina queat pretiis mercarier ullis ?
82 Caesaribus multis ea nota peritia, multis
83 regibus, haec artes inter petebatur honestas.
84 His, Pisane, viris numerandum protulit aetas
85 te nostra et tantus non indignabitur ordo,
86 cui decus et laudem possis augere. Deorum
87 mendaces illi effigies componere norant ;
88 tu Patrem aeternum, totum qui condidit orbem
89 ex nihilo, sanctosque viros componis eos, qui
90 religione viam ad superos docuere beatam.

CARNIFICIS DETESTATIO

- C_53 v.1 Si natura dedit lacrimas mentemque benignam
 2 ut miserer miseros afflictaque corpora soler,
 3 caedibus ast hominum, laqueis et strage cruenta
 4 laetabar, velut ursae lupus leo sanguine crassus,
 5 quippe hominem exueram, mores mea corda ferinos
 6 induerant. Animam ceu saevi bellua ponti
 7 evomui ; jaceo digne ceu bellua caeno,
 8 alitibus canibusque feris laniandus et ursis.
- C_54 v.1 Si pietas ulla Herculeum deflere Johannem,
 2 patre orbata suo lugeat Italia,
 3 Qui totiens animas crudeli a morte reduxi,
 4 cujus ope a multis grata recepta salus.
 5 Nunc mihi saepe alios quae servavere medelae
 6 non prosunt, dominum destituuntque suum.
 7 Interituque meo... (LACUNE)
 8 (LACUNE)
- C_55 v.1 Sic animam aetherea servet Nicolaus in arce
 2 Marchio magnanimus meritis pro grandibus, ut jam
 3 maxima per cunctas celebratur gloria terras,
 4 ut sacra Christiferae custodit Virginis aedes
 5 corpus humo clausum. Magnis cum sumptibus ipse
 6 aedificans templum, venia donavit et ara
 7 munere Pontificis, sanctae pietate parentis.
 8 Dehinc laudes aliae majora volumina poscunt.
- C_56 v.1 Splendidus ut vernum sol lustrat lumine taurum
 2 ac gelidas coepit succendere lampade terras,
 3 non modo sublimes vestiri gramine colles
 4 verum etiam pressas cernis splendescere valles
 5 floribus ex variis, e caeno lilia nasci.
 6 Haud secus ipse tua radios virtute micantes
 7 cum spargis sordemque meam fulgore pererras,
 8 florida de nostro sententia germinat agro,
 9 fama virens oritur, quam tanto ardore creasti.
 10 Quae verax utinam doctas venisset ad aures
 11 nec te mirifica clarus pietate Maphaeus
 12 falleret, aetatis certissima gloria nostrae,
 13 ingenium cujus, virtus, sapientia cantat
 14 summa virum. E parvis ingentes tollit amicos
 15 eque luto vivos subtilis imaginat, ut jam
 16 antiquum memorant finxisse Promethea formam.
 17 Me tamen haud fallat, meme intus et in cute novi.
 18 Te modo ne fallas : quod sum fueroque fruare
 19 omnibus in rebus proprio, Baptista, Guarino.
 20 Scribam aliquid quo sim Latio celebratior omni

21 sponte mones : quae vena satis viget illa virosque
 22 mulceat aut doctos aut non carpatur iniquis ?
 23 Fac vigeat : quae digna manent hoc tempore ubique
 24 praemia scriptores ? Quis honos, cui gloria vati ?
 25 Martia tela valent, vis, insidiaeque dolique,
 26 regna tenent Cleopatra procax, Parmeno, Gnatones.
 27 Quis ni tranquillo deduxit pectore versum ?
 28 Nec simul esse potest versus et cura peculi,
 29 me vero assiduis mala percutit inopia telis,
 30 virgo ferox facie nullisque domabilis armis :
 31 nam quotiens iubet haec, miles sua pignorat arma.
 32 Inter vagitus natorum haud audio Musas
 33 et, stimulante fame, divina ambrosia, nectar
 34 haud saturant : qui non sitiunt sunt illa deorum.
 35 Vos, quibus ingenium est, Pallas monstravit et artem
 36 resque domi et lata nummus jacet amplius in arca,
 37 scribite, magnanimumque duces diffundite in alta
 38 sidera. Materiam praebet terraque marique
 39 tot rebus gestis partosque ex hoste triumphos.

DEINDE, IPSO STELLA MORTUO, ALIUD IN HUNC MODUM COMPOSUISSE DICITUR

- C_57 v.1 Stella, prius Superis fulgebas Lucifer, at nunc
 2 Hesperus, ah, fulges Manibus occiduis.
- C_58 v.1 Suscipe ludentis pueri jucunda Maronis
 2 carmina, quis gestus, quis corpora format et herbas,
 3 naturae pictor, Musarum interpretis amandus.
 4 Ardua cum rarum quaerens arcana gravesque
 5 morborum causas curasque ad membra salubres
 6 arte laboraris, lenimen dulce malorum,
 7 hos versus releges, ubi fessus taedia ponas,
 8 auribus et requiem cantu donabis amoeno.
 9 Mirari ingenium sensusque licebit acutos
 10 vatis adhuc teneri vocesque probare disertas.
 11 Nec minus interdum grata est tibi sacra poesis
 12 et suaves Helicone haustus libasse fluentis,
 13 cernere quam patriam et prisca monumenta sophiae
 14 aut medicas artes quas edidit auctor Apollo.
 15 Interea fixum menti vincito Guarinum.
- C_59 v.1 Tibi non auro nitidam mitto
 2 pateram, non purpureo vellere
 3 chlamydes, quas artificii pectine
 4 Syrus insignit, non viventem
 5 lapide ex pario statuam. Nam quid
 6 locupletati donet inops rerum,
 7 tibi praesertim, Ludovice, tuam
 8 animo, virtute atque ingenio
 9 sobolem exornans simul et patrem

10 egregium te gnato dignum ?
 11 Non praedia, non quibus exundas
 12 cumulato cornu divitias
 13 magni facis, ut dulces undas
 14 Heliconis amoeni suavemque
 15 Phoebi citharam resonantesve
 16 comites Phoebi Musas, quae urbes
 17 populosque superbos et gentes
 18 Mediis ex morsibus eripiunt
 19 mortis ; sic dignos laude viros
 20 aevo donarunt perpetuo.
 21 Igitur tenerum hoc capies carmen
 22 veluti ingenioli primitias
 23 desueti vel reducis Musae,
 24 quod Benacum dum lustrum tuum
 25 temptavi ludere. Jam nosces
 26 his non minus undis Pieridas
 27 versarier atque Minervam, quam
 28 virides nymphas et pisciculos.

C_60 v.1 Tota simul facili vitia ipsa assumere captu
 2 concessum est : brevis est via quae deducit ad illa.
 3 Quin semper nobis vicina cubilia jungunt.
 4 Sudorem prae se fert virtus mente deorum,
 5 est ad eam longus rectusque per ardua callis
 6 asper et imprimis ubi in alta cacumina ventum est
 7 mollis adest quae visa fuit durissima quondam.

PROSEUCHE AD BENACUM

C_61 v.1 Tranquilli Benace lacus, pater inclite, salve
 2 undarumque parens, fluctus imitate marinos,
 3 lucida quem facies incanaque barba decorat,
 4 quem virides pictis immixtae floribus herbae
 5 et laurus, arbusta, oleae, vineta coronant,
 6 pulcher Apollo colit, Bacchus, generosa Minerva,
 7 caesarie flavente Ceres, clarissima Juno,
 8 undique pubentes tumuli montesque decori
 9 exornant, cultae valles agrive comantes.
 10 Mille tibi ut variae splendent in margine gemmae
 11 castella et celsis arrident collibus arces,
 12 Templata, domi, multos et habentia rura colonos.
 13 Aeolias constringe minas et carcere frange,
 14 ventorum sonitus, saevas compesce procellas ;
 15 sopito, pater alme, sinu ripaque tacenti
 16 suscipe nos ; medio colludant aequore mergi
 17 adventu laeti, certent in voce volucres
 18 augurio, ut tuta liceat lustrare phaselo
 19 te duce cantatas antiquo carmine lymphas.
 20 Visemus vitreoque vagos in gurgite pisces
 21 et qui te usque rigant profugos per gramina fontis.
 22 Non procul ignoto dispulsi accedimus orbe,
 23 forte vel errantes ad Gardae ducimur oras,

24 at Verona parens tibi nos pulcherrima civis
 25 dimisit : stirps, lingua, habitus moresque loquuntur,
 26 quam matrem prisco dominamque fateris honore.
 27 Haud sumus ingrati meritive oblivia tanti
 28 immemores capient ; tibi sacra, benigne, quotannis
 29 caesariem tenera reddemus arundine vincti ;
 30 candenti magnum numen venerabimur agna
 31 et tibi cum miti spargentur flava Lyaeo
 32 mella simul ; dignas capies ex ordine laudes ;
 33 Mincius in sociam veniet tibi filius aram,
 34 formosum referens formoso corpore patrem.

C_62 v.1 Ut sileam priscos animi probitate nitentes
 2 et quis daedaleas fata dedere manus,
 3 quanta Macro et Cosmo nostri pictoribus aevi,
 4 tanta tibi ex calamo gloria, Lande, venit.

C_63 v.1 Veterem Draconem sive Solona
 2 est sanctiloquas versas leges,
 3 studium aut sequeris grande Minerve,
 4 Donate, parum mihi ridenti
 5 ades obtutu. Lusibus istis
 6 tu perpetuum falle laborem,
 7 curasque graves solare joco.
 8 Melior semper redit ad bella
 9 pugil Aeacides, carmine postquam
 10 lusit citharae fila canore ;
 11 validos sensit fortius ictus
 12 latus Hectoreum. Seria fesso
 13 juvat ex pectore saepe movere,
 14 nam languidulas animi vires
 15 jocus instaurat dulcisque quies.
 16 Ego Graecanicum nunc parasitum
 17 affero qui se verbis Latii
 18 artemque suam quam bellissimam
 19 explicet ; illum cape dicentem.
 20 Risum ridebis sardonium,
 21 solves resonis ora cachinnis.

C_64 v.1 Vivite felices Sismundo auctore poetae.
 2 Suspicit hic musas, magno et dignatur honore ;
 3 praemia persolvens priscas invitat ad artes.
 4 Vos contra resonis sublimem ad sidera cygnis
 5 tollite ductorem, vita donate perenni.
 6 Eripite hunc fato : quid enim non carmina possunt
 7 spondere ? Aeternum praestant mortalibus aevum.
 8 Venturi agnoscant celebrentque in saecula nepotes
 9 quantum acie valeat, quam duro fulminet ense.
 10 Sensit id Alphonsus Populonia moenia circum
 11 dum sedet ac cincta pelago terraque potiri

12 urbe putat. Pavitans artes ducis, ille fugaces
 13 exsuperat cursu cervos capreasque volantes :
 14 Hispano tantum strepitu praeit Itala virtus.

C_65 v.1 Vos laetis oculis, laetis complector et ulnis,
 2 laetitiae nati laetitiaeque patres.
 3 Vos pax dulcis alit placidusque per otia risus,
 4 vox, jocus et ludus, vos comitatur amor.
 5 Talis nostra deos Ferraria fertilis optat,
 6 cum lascivus ager urbsque canora salit.
 7 Non ego vos claros obscura nocte creatos
 8 crediderim ; melior jactat origo suos.
 9 Nam vates ceber tragicus decus ordinis olim
 10 Aeschylus in scaenam multa notanda tulit,
 11 inter quae larvam, mimos pulchrosque cothurnos :
 12 sic locupletat eam versibus atque habitu.
 13 Hinc personatae primum sonuere Camenae ;
 14 nutriit ast larvas insidiosa Venus.
 15 Palpat amans, loquitur tractatque licentius artem,
 16 dum larva, ut clipeo, retia operta jacit.
 17 Nec minus antiquus larvam tibicen habebat,
 18 cum festos coluit maxima Roma dies.
 19 Larva oritur ceu myrrha, croci, rosa, lilia, odora
 20 ceu violae ; cessant tempore quaeque suo.
 21 Pectoribus tacitis generosi vivit amantis,
 22 pascitur haec venis, cordibus ipsa viget.
 23 Ergo patres nacti tales, his moribus alti
 24 ad nos ne pudeat ferre gradum propius.
 25 Imprimis magno veniens Ugone parente,
 26 quem Phoebus lustrat quemque Minerva colit,
 27 insignis Succine, veni comitante poeta
 28 Marrasio ; Musis regia nostra sonet.
 29 Ocius hic adsint ornatae faxo puellae.
 30 Narcissi plures cumque Helenis Parides.
 31 Cantibus et cithara saltus agitate decoros,
 32 ut satyri cunctos exhilarate choros,
 33 virgo senex vir nupta, joco invitante procaci.
 34 Hujus laetitiae quo meminisse queant,
 35 intentus cunctos citat ecce Cupidinis arcus ;
 36 si fugiant, laesus vulnera acerba dabit.
 37 Is namque imperium terris exercet et undis
 38 inque deos omnes, sola Minerva vacat.
 39 Hujus signa subit quisquis victricia miles,
 40 membra senex fiet, ast animo juvenis.
 41 Dum sinit ipsa dies, dum vestra decentius aetas,
 42 carpente jucundo gaudia plena sinu.
 43 Aspiciat ut celeres serpant ad tempora cani,
 44 quis modo caesaries flava nimis fuerat.
 45 Aspera mox veniet dapibus regina severis,
 46 quae luxum frangent, corpora tota domet,
 47 urgeat edicto sensus frenare petulcos,
 48 ferre sitim et duram viscera nostra famem ;
 49 post cantus lacrimis sanctos audire prophetas
 50 et nudo ad templa saepius ire pede

51 atque oculis castis alienam cernere nuptam,
 52 stringere labra simul nullaque vana loqui.
 53 Dum datur ergo animis manifesta licentia vestris,
 54 lascivum moveant ora, pedes, oculi.
 55 Dulcior interea gnatus pia cura parentis
 56 sit Leonellus ovans saltibus atque joco,
 57 promptior ut Musas ac Pallada deinde reviset :
 58 intermissus enim fit labor ipse levis.

C_66 v.1 Vos quos credulitas viscataque virga necabant
 2 et stridens folium, deinceps gaudete, volucres.
 3 Noctua nam periit, nimio insidiosa labore ;
 4 quam dum spectatis, tenet et spectando voluptas,
 5 sibila Gregori fatum minitantur acerbum.
 6 Dum petit, haec petitur ; necat haec vos, illa necatur.
 7 Ergo per dumos tuto saltate volatu.

+++++

APPENDIX CARMINUM (18 vers)

EPIGRAMMA VICTORINI FELTRENENSIS

A_1 v.1 Qui fueram Graecae et Romanae gloria linguae
 2 jaceo et cineres haec habet urna meos.
 3 Pierides flevere deae, mea funera flerunt
 4 Naiades et maesta flevit Apollo lyra.
 5 Palladis et flerunt septem pia turba sorores,
 6 quae reddunt similes nosque pares superis.
 7 Ut sua Maeonium deflevit Graecia vatem,
 8 sic Victorinum Feltria terra gemit.

EPIGRAMMA LEONELLI MARCHIONIS ESTENSIS

A_2 v.1 Quod nec regna juvant nec magna potentia saeculi
 2 omnibus exemplo rex Leonellus erit,
 3 quem mors saeva tulit composta pace regentem
 4 caelitus imperio tradita regna suo,
 5 tempore quo celebri Studio Ferraria claret,
 6 cujus pro meritis nomen in orbe tenet.
 7 Quam sapiens prudensque fuit rex quamque benignus,
 8 conscia sunt Latii fortia facta ducum.
 9 Alfonsi Venetumque manet concordia vivax
 10 jam virtute sua, qua super astra volat.